



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 11. Angelorum manibus quinam SS. Eucharistiam acceperint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

accedere ad hoc sacramentū. Quoties etiam impius quispiam sacerdos Christum è cœlo in aram vocat, obedit ille voci hominis, & ne desit panis cœli, adest sub speciebus panis. At Christus nunquam exponitur in hostia, quin ad credentem dicat: *Osculetur me osculo oris sui*, & tamen sunt, qui osculum detrectent, ac ad regiam hanc mensam inuitati venire recusent? Impediunt negotia? non est omnium quotidie vestem induere nuptialem? Esto. at saltem desiderent accumbere, qui putant, se non posse accumbere; faciântque, quod famelici solent, qui cum cibum non habent, quo vescantur, delectant se saltem cibi recordatione, éstque illis, pro escæ usu, escæ appetitus:

§. XI.

*Angelorum manibus quinã SS. Eucharistiam acceperint?*

Complures hoc desiderio etiam impetrarunt hunc cibū accipere manibus ministratium Angelorū: è quorū numero fuit Marcus Monachus; cui tamen cum Angelus Eucharistiam porrigeret, ait Macarius, apud Sozomenum, *se manum ad iuncturam usque tantum vidisse*. Item Maiorus Episcopus, qui

Sozom.  
lib. 6. c.  
29. Pal-  
lad. in  
hist. Lau-  
siaca. c.  
20.

de

**Petr. de  
Natal. lib  
9. c. 103.  
In vita. S.  
Bonau. c.  
11. & 2.  
pud Sur.  
tom. 3.  
die 13. Iu-  
lij. item  
in Chrō.  
Francisc.  
2. p. 1. 2.  
c. 2.**

**Vide de  
subductis  
hostijs  
Sozom. l.**

de Angeli manu sacramentum hoc ter accepit, in eremo, ab alijs desertus, sed non desertus à Deo. Sed mirabile fuit, quod S. Bonaventurę Episcopo Albanensi & Cardinali, nondum sacerdoti, accidit. Is, quia plusculis diebus, ob summam animi demissionem, à sacratissimi corporis Christi perceptione abstinuit, veritus, ne, si illud indignus sumeret, iudicium sibi manducaret & biberet; in præmium tantę humilitatis, Missę audiendę præsens, & panis cęlestis mirę appetens, particulam sacrę hostiæ, de manibus celebrantis acceptam, per Angelum, ori suo impositam accepit. Quam submissionem vtinam multi imitarentur, qui cum symposia, vltra dimidium noctis, protraxerunt, cum scortati sunt, cum crapulam nondum edormierunt, vt sacrilegio sacrilegium addant, non verentur, sine scelerum confessione, sine contritione animi, sine peccati expiatione, non ieiuni ad tremendum hoc mysterium, & ad Missam celebrandam accedere, digni vtique, quibus non iam Angeli hostiam afferant, sed auferant: vt sæpe legimus contigisse. Sed, si eo miraculo moueri non sunt digni, erit tempus, quando, sicut Magdeburgensi V-

doni;

doni, hostias Angeli è visceribus reuulsas, atq; flammato gladio, è ceruicibus excussas repetent; remque omnium sanctissimam, in salutem institutā; seuerissimo Iudici Deo, in vindictam damnationemque eorum, annumerabunt.

§. XII.

*Christi manu, humilibus & aliunde destitutis, SS. Eucharistia ministrata.*

Interim Deus amicis filiisq; diligenter prouidet; ne fame pereant; neque per Angelos tantum diuinas has illis sportulas mittit; sed suismet etiam manibus se se illis in os; in pectus, in animam immittit. Celebrauerat aliquando Missā Honoratus, post Firminum Episcopum Ambianensem, quartus. Ventum erat ad hostiam fumendam; ibi; attentissima cogitatione, institit tanti sacramenti dignitatem perpendere. Ea meditationis vis fuit, vt; præ reuerentia, hostiam manibus attingere vereretur. Placuit conuiuæ modestia Christo, censuitque miraculo honorandam, miraculoque stupendo. Nam ipse, ex depicta inibi imagine sua, brachium extendit hostiamque, velut viuā manu, sublatam de altari Honorato porrexit. Itaque, iam ille sumere non recusa-

L

uit;

8. hist. c.  
5. Baron.  
t. 3. An-  
nal. An.  
An. 400.  
Petr. Clu-  
miac. lib.  
1. cap. 2.  
Gregor.  
Turon.  
lib. 1. de  
de glor.  
Mart. c.  
86.  
Petr. de  
Natal. l.  
2. Cat.  
Sanct. 86.  
M. Mar.  
Spalat. l.  
4. c. 12. ex  
Breviat.  
Ambian.